



De conceptione extrauterina

<https://hdl.handle.net/1874/210869>

DE
CONCEPTIONE
EXTRAUTERINA

ACCEDIT
OBSERVATIO CONCEPTIONIS TUBARIAE
TABULA Aenea ILLUSTRATA.

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE
ILLVSTRIS ACADEMIAE FRIDERICIANAE
DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM
PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE
DIE IX. DECEMBRIS MDCCLXXXI.

PUBLICO EXAMINI OFFERT
AUCTOR
CAROL. FRIDER. WEINKNECHT,

BOLESLOVIA - SILESIVS.

HALAE,
LITTERIS TRAMPIANIS.

V I R O

ILLVSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

DOCTISSIMO

FAVTORI, PRAECEPTORI ET PROMOTORI

SVMME VENERANDO,

PHILIPPO FRIDERICO MECKEL,

M. D. PROF. PVBL. ORDIN. IN ACADEM. FRIDER.

INSTIT. REG. CLINICI CHIRVRG. DIRECTORI,

CIRCVL. SALIC. ET COMITAT. MANSFELD.

PHYSICO,

IN SVMMAE PIETATIS ET GRATITVDINIS

SIGNVM

PRO TOT TANTISQVE IN SE COLLATIS BENEFICIIS

HAS STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

D. D. D.

A V C T O R.

D E

CONCEPTIONE EXTRAUTERINA.

C A P. I.

De adhaesione, nutritione, & incremento oui extra vterum.

§. 1.

Coniunctio materiae primae, quam vterque sexus ad generationem confert, *conceptio* nominatur ¹⁾. Nonnunquam vero sub hac voce ea actio intelligitur, qua ouulum foecundatum in aliquo abdominis receptaculo adhaeret, nutritur & increfcit. Nimis lata omnino est haec denominatio & iure rei non conuenit, quam ob rem pro conceptione alii termino grauiditatis ²⁾ alii receptionis ³⁾ vti sunt: sed cum hae denominationes difficultatibus non careant, & alia magis congrua mihi nota non fit, illa veterum loquendi ratione vti non dubito.

§. 2.

Diuidi potest *conceptio* in naturalem f. vterinam, & praeternaturalem f. extrauterinam. *Vterina* dicitur, si post coitum foecundum, ovario laciniis tubae fallopianae comprehenso, ouulum inpraegnatum abruptum, adiuuante motu tubae peri-



1) BAUDELOQVE's Anleitung zur Entbindungskunst, v. Meckel. Leipz. 1791. R. I. p. 245.

2) BIANCHI de natural. in human. corp.

vitiol. morbosaque generatione. Genev. 1741.

3) JOSEPHI Diff. de conceptione abdom.

vulgo sic dicta. Goetting. 1784.



peristaltico, vtero illatum adhaeret, atque ex consuetis naturae legibus conseruatum plene efformatur. *Extrauterina* vero, si ouulum foecundatum quaecunque ob causam ad vterum non defertur, sed aliis in locis firmatur, nutritur & ad quendam perfectionis gradum augetur. De hac nunc paucis pro viribus meis agam.

§. 3.

Conceptio extrauterina triplex est, vel ouaria vel abdominalis, vel tubaria.

Ouaria, ouulum foecundatum ouario non egreditur, sed in illo residet & cum embryone nutrimentum capit. Prout autem superficiei ouarii adhaeret, aut profundius substantiae eius insidet idque crescendo expandit, Cl. BOEHMER⁴⁾ eam diuidit in externam & internam. Magnus autorum numerus exstat, qui praeter alios ouarii morbos, etiam obseruationes huius conceptionis recensent. Sufficiat mihi praecipuas additis nonnullis recentioribus nominare.

RIOLAN Anthropogr. Lib. II. p. 283. 284. 285. primum describit conceptionem ouariam. — De officulis foetus in ouario inuentis plures recensentur historiae in Philosoph. Transact. Vol. XI. n. 150. — RUYSCH. Aduers. anat. med. chirurg. Dec. III. p. 2 & 6. & eiusdem Thes. anat. I. p. 33. Tab. III. & aliae de quibus infra sermo erit.

Integrorum foetuum exempla inuenimus in Hist. de l'Acad. de Par. 1745. p. 48 & 49. foetus duorum pollicum magnitudine. — BÖHMER. l. c. P. I. obs. I. foetum quadrimestrem describit. — BARFENKNECHT in thesi. E. omn. viii. ex ouo; foetus cum dentibus & crinibus in ouario haerebat. — Alt. Hamb. Magaz. 1 B. 1 St. foetus quadrimestris erat. — MANGETI Theat. anat. plura refert. — Foetus extra vterum historia &c. Auctore HENRICO KROHN. Lond. 1791. In cadavere mulieris operarii secunda vice per septem menses grauidae, & isehuria in nosocomio Middelfex emortuae sectione in ouario sinistro mirum in modum expanso foetus sexus sequioris pondere $4\frac{1}{2}$ libr. inueniebatur. —

§. 4.

4) Obseruat. anat. rar. Fasc. P. I. p. 30.

Abdominalis. Si ouulum tribus circiter diebus post foecundationem elapsis tubam non ingreditur, sed ex ovario statim in cauum abdominis delapsum cuidam parti adhaeret, nutritur & ad quemdam perfectionis gradum augetur.

Pro situ foetus in hac conceptione BIANCHI ⁵⁾ distinguit magis externam s. subcutaneam, si foetus extrinsecus iacet: & minus externam, si foetus eiusque inuolucra magis in profundo sita sunt: porro superiorem, quum regiones abdominis supra pelvis caueam sitas conceptus occupat: inferiorem, quum foetus intra confinia pelvis seu infimi ventris cavitatis consistit. — Sed hanc diuisionem nimis latam & subtilem puto, cum hae omnes iterum alias dent, prouti loca harum determinatarum partium diuersa sunt, in quibus ouulum foecundatum continetur; & maiori cum utilitate & commodo ad partes, quibus conceptio ope placentae adhaerens inuenitur, respiciendum mihi esse videtur.

Observationes huc pertinentes sunt:

Foetus hepatis insidens cum placenta ad lumbos. v. Hist. de l' Acad. ann. 1716. n. 4. — Gemini in tumore ad vterum adnato. Ephem. N. C. Dec. III. ann. 4. obs. 22. — Fere similem accurate recenset DUVERNEY Oeuvres anatom. p. 358 sqq. — Conceptio abdominalis superius colo, reliquo ambitu intestinis tenuibus annexa. BIANCHI l. c. p. 84 sqq. — Alia epiploa annexa. Ephem. med. gall. p. Ab. de la ROQUE 1663. — Foetus nonimestris, cuius placenta in latere dextro abdominis maxima ex parte peritoneo adhaerebat, margo eius posterior mesenterio, pars inferior autem ligamento lato vteri affixa erat. Med. Bemerkungen einer Gesellschaft von Aerzten in London, aus dem engl. v. SILCHMÜLLER. B. III. p. 38 sqq. Altenburg. 1769. Plures adhuc leguntur in MANGET Theat. anat. Lib. II. P. II. Cap. III. p. 142. — HALLER Elem. phys. T. VIII. p. 50. — JOH. GOTTL. WALTER Geschichte einer Frau die in ihrem Unterleibe ein verhärtetes Kind 22 Jahre getragen hat. Berl. 1778. Foetus nec placenta nec integumentis, nec funiculo naturali gaudebat: duo tantum vasa variis in directionibus in regione vmbilicali inserta erant, quibus verosimiliter foetus nutritus est.

Tubaria. Ovulum ab ovario seiunctum & a tuba receptum, ei adhaeret, nutritur & crescit. Haec ut ovaria a Cl. BÖHMER⁶⁾ diuiditur in externam & internam. Externa, si ovulum recipitur quidem a fimbriis & tentorio tubae, sed in progressu impeditum, iis adhaeret; interna, quum in tubae canale profundius retinetur.

Haud rarae sunt observationes circa hanc conceptionem nobis traditae, qui illas legere cupiunt, conferant: BIANCHI l. c. p. 177 sqq. tres recensentur ab illo conceptiones eiusmodi internae. — Act. phys. med. Vol. V. Obs. CLII. p. 511 sqq. ubi MÜLLER foetus monstrum cum placenta tubae dextrae fimbriis adnata mentionem facit. — RIOLAN anthropogr. L. II. p. 283. duos casus refert. — DOUGLAS bis vidit conceptionem tubar. v. Ess. of a Societ. at Edimbg. V. p. 336. — MANGETI Bibl. anat. P. I. p. 621. 622. Eiusd. Theat. anat. P. II. p. 143. plures aliorum repetit. — BONNET sepulchret. anat. Lib. III. Sect. XXXVIII. fol. 1367. SAVIARDUS Journal des Sçavans d. 26 Novbr. ann. 1696. nec non VALISNERIUS de generat. hom. & animal. Vol. II cap. XVII. §. 19. p. 523. Aliud allegatur exemplum a DUVERNEY Mem. de l' Acad. 1702. p. 307. Philosoph. Transact. n. 48. Commerc. littr. 1535: hebdomad. XIX. — SANTORIN. observat. anat. Cap. XI. p. 225. 226. REGN. de GRAAF de mulier. organ. generat. inferu. Lugd. Batav. 1678. p. 196. — BÖHMER l. c. P. II. FRITZE diff. de concept. tub. Argentor. 1779. CONRING diff. sistens observ. de concept. tub. Argent. 1780 &c.

§. 6.

Vt in conceptione naturali sic etiam in hac ovulum impraegnatum, quod dicta ratione hanc vel illum locum alienum petit, in parte, cui adglutinatum est, aut vi mechanica, aut irritandi propria affluxum humorum excitat: a superficie eius nascuntur flocculi, vasculis partium vicinarum adhaerentes, sub his membranae primum non conspicuae efformantur, & totum ovum mole augetur. Cum hoc incremento flocculi illi magis magisque in circulum contrahuntur, & placentam con-

stituunt,

⁶⁾ l. c. P. II. §. XII.

stitunt, cuius facies interior membranis tegitur, exterior autem ope vasorum & tela cellulosa cum parte quadam connexa, quo firmissimam adhaesionem praebet. Placenta vasis sanguiferis & tela cellulosa contexta in tres diuiditur partes, scil. maternalem, foetalem & parenchyma quod illis interiacet. Haec inuolucra continent conceptum, qui per plures septimanas oculos nostros fugit, tum sub nubeculae mucosae forma apparet, quae in humore claro pellucido natat; mediante funiculo umbilicali, qui tribus vasis sanguiferis contortus est, cum placenta coniunctus nutritur. Irritatione, ut iam dixi, attrahuntur humores in parte affecta, vasa eius magis magisque dilatata, succos nutritios in partem maternalem placentae ducunt, in parenchyma depositi recipiuntur a vasis partis foetalis placentae, miscentur cum sanguine e foetu redeunte, & per venam umbilicalem illi traduntur: nunc per circulationem plane in sanguinem vertuntur, & foetum nutriunt. Sanguis per arterias umbil. in placentam recurrit, & partim cum nouo humore chyloso miscetur, partim venarum ope matri traditur 7).

§. 7.

Non differt ergo ratio nutritionis foetus extrauterini, ab illa qua vterinus gaudere solet, quod vero quantitatem attinet, omnino difficultates, iustam nutritionem impediens occurrunt: partem enim affectam, saepius pauca & parui diametri vasa perreptant, quae plenam nutritionem praesertim in progressu conceptionis, cum maior humorum copia necessaria sit, negant: nihilo tamen minus exempla exstant, quae, a natura haec impedimenta interdum remota esse, probare videntur. His missis, aliae causae magni sane momenti exstant, quae nutritionem & incrementum foetus plane dirimere possunt: tumore & pondere vasa, quae parti foetum continenti sanguinem curant, comprimuntur, aut inuolucra foetus rumpunt. Tempus maturitatis quod attingit foetus in conceptione extrauterina alii eius divisioni in consummatam & inconsummatam occasionem dedit: *consummata* dicitur, si foetus per novem menses extra vterum gestatus ad eum maturitatis gradum peurenerit, quo foetus nonimestris gaudet vterinus, si vero quamcunque ob causam hunc perfectionis gra-

7) Qui se his suadere cupit adeat CI. HALLER Grundriß der Physiolog. v. Meckel. 1788. — STOR Diff. de nexu inter matrem & fetum. Hal. 1784.

gradum non attingat, inconsummata nominatur. Quae fere semper inconsummatae inueniri solent, sunt conceptiones ouariae & tubariae internae; externae & abdominales frequentius consummatae fiunt, & non per menses tantum, sed per annos protrahuntur.

C A P. I I.

De causis & signis diagnosticis.

§. 8.

Omnia quae liberum ouuli ex ouario per tubam in vterum impediunt transitum, in genere ad conceptionem extrauterinam conferre possunt. Ab autoribus qui hanc rem tractarunt, ouarii & tubae vitia, quae partim ad statum praeternaturalem partim ad morbosum pertinent, & sectionibus se manifestarunt, in culpa esse creduntur.

Causas ab illis Cl. Viris relatas, & has partes respicientes narrabo.

Causae quae ouario insunt.

1. Membrana ouarii adeo crassa & renitens, ut ouulum intumescens illi rumpendae impar sit ⁸⁾).
2. Calyx ouulum ouario nimis firmiter annectens ⁹⁾).
3. Ouulum ¹⁰⁾ substantiae ouarii iusto altius insidens.
4. Protuberantiae & tumores e. c. scirrhi ¹¹⁾ & hydatides ¹²⁾ fimbrias & ostium tubae exterius impediens, quo minus ouulum foecundatum recipiant.

Causae a conditione tubae fallopianae sumtae.

1. Tuba clausa. Forsan illa non multum post concubitus claudī potest, cum eius vasa sanguine nimis repleta, inflammentur, adeoque parietes tubae arctiores, eam ipsam ouulo recipiendo minus idoneam reddant ¹³⁾).

2. Sedes

8) BIANCHI l. c. p. 69.

9) THOM. Diff. de concept. ouar. Giesae 1781.

10) Idem l. c.

11) WALTER Gesch. einer Frau &c. in oua-

rio dextro scirrhum magnitudine mediocri nucis mysticae adaequantem repertum esse tradit.

12) JOSEPHI l. c.

13) BIANCHI l. c. p. 75. tubam fallopian. in ligamentum transmutatum vidit.

2. Sedes, mobilitas seu inconstantia tubae, quae liberae tutaeque ouorum traiectioni obstat ¹⁴⁾).
3. Tuba paulo breuior, ita ut nec ouarium attingere ¹⁵⁾ nec iusto modo complecti possit.
4. Insignis eius longitudo ¹⁶⁾).
5. Flexuosa directio ¹⁷⁾).
6. Si tuba casu praeternaturali, aut per morbum vel cum ouario vel cum ligamento uteri lato coaluit, ut nec a loco suo moueri, nec iusto tempore ad ouarium amplectendum ouulumque recipiendum erigi queat ¹⁸⁾).
7. Si tuba paralyfi affecta, vel omni fere irritabilitate gaudet, vel ab aliqua parte comprimitur, vel ulcerata, vel humoribus corruptis & vitiosis repleta & inflata, vel excrescentiis spongiosis varicibusque obsita, vel simili quodam modo laesa & distorta est ¹⁹⁾).
8. Fimbriarum ²⁰⁾ longitudo non satis congrua, aut vitio quodam recipiendo & amplectendo ouulo minus idoneae factae. Ad has BIANCHI ²¹⁾ & BÖHMER ²²⁾ nimiam venerem referunt.

Terrorem, timorem, anxietatem, indignationem, si nempe hae momento coitus veneris voluptatem subito interrumpunt, causas conceptionis extrauterinae esse credit KRÜGER ²³⁾).

§. 9.

Alia causa ex his narratis magis hanc, alia vero illam efficere creditur, plures & ouariae & abdominali & tubariae communes habentur. Aliae omnino aliquid efficere possunt, sed quaeritur, num adfuerint in casu allato, aliae nullo modo accu-

- | | |
|---|--|
| 14) Idem p. 70. | 19) Idem Cap. 17. |
| 15) LAMY nouvelle opin. p. 260. | 20) Idem l. c. |
| 16) BIANCHI l. c. p. 72. | 21) l. c. p. 76. |
| 17) BIANCHI l. c. 271. | 22) l. c. P. I. |
| 18) ANT. VALISNER Opere fisico-medice. Venez. 1753. P. III. p. 253. | 23) Diff. sist. patholog. ovar. mulier. Götting. 1782. |

accusari possunt, aliae nos dubios reddunt, utrum tempore conceptionis iam adfuerint, nec ne. —

Ex his patet, latere nos causas conceptionem extrauterinam efficientes.

§. 10.

Ad signa quod attinet, illa maxime ambigua & fallacia sunt. In principio ad quartum usque mensem fere nulla, hoc tempore elapso illa, quae generalia dicuntur apparent, & si plura eorum concurrunt, cum magno probabilitatis gradu conceptio extra uterum coniici potest: quae ex sententia Cl. BÖHMER haec sunt, afferam.

1. Tumor ventris circa umbilicum aut in hypochondrio altius profundiusue insidens, successiue increfcens, inaequalis, cum pondere in vna laterali ventris potissimum parte magis, quam in altera, plus, minus dolens.
2. Insolitus foetus motus.
3. Orificium vterinum immutatum aut arctissime clausum.
4. Nulla aquarum formatio aut effluxus.
5. Mammae vt plurimum lacte vacuae & flaccescentes: nonnunquam tamen praesertim in conceptionis initio turgentes.
6. Respirationis difficultas ob diaphragmatis descensum impeditum.
7. Crebrior vomitus ab irritato pari neruorum vago, aut quandoque ab omento accreto ideoque tenso.
8. Febres anomalae, cachexiae, oedemata aliaeque affectiones.
9. Irriti partus labores cum cruciatibus in abdomine, quos vulgo dolores ad partum spurios appellant.
10. Menses in aliis irregulares, aut plane suppressi, qui in aliis iterum fluere incipiunt.
11. Inter dolores ad partum spurios haemorrhagia ex vtero plerumque proueniens.
12. Tactus foetus per integumenta abdominalia aut per vaginam & intestinum rectum.

13. Putridae materiae & officulorum per abcessum abdominis, vaginae aut intestini recti deiectiones.

§. 11.

Signa haec allata omni fere conceptioni, siue sit abdominalis vel ovaria vel tubaria conueniunt & hanc vel illam proprie indicantia paucissima aut plane nulla dantur. Ex BIANCHI quidem opinione progressas conceptiones ovarii & tubae fallopianae, praesertim internas, maximi & ferme perpetui comitantur dolores; in abdominalibus autem interualati sunt: sed haec signa a varia affectione matris sumpta nil valere possunt, cum sensibilitatis gradus, ergo etiam doloris perceptio in omnibus fere subiectis differat.

C A P. I I I.

De exitu conceptionis extrauterinae.

§. 12.

Hanc naturae a viis solitis aberrationem non sine magno matris & foetus periculo locum habere posse experientia edocti scimus. Gestatio ipsa molesta, dolens, cruciatibus mox maioribus mox minoribus coniuncta est, qui praesertim motu foetus excitantur & augentur. Partes affectae functionibus ingrauantur, quibus a natura non destinatae & instructae sunt, naturales earum turbari plane interrumpi, & aliae per consequens laedi possunt. Haec mala iam per se sanitatem turbant, multis tam acutis quam chronicis morbis portam aperire & haec iterum foetui detrimentum inferre posse, nemo negabit²⁴⁾. Non omnes autem, quae extra vterum conceperunt tali modo vexari solent, exigua saepius sunt incommoda quae exinde oriuntur, & non differunt ab iis, quae conceptio naturalis secum ducere solet. Per plures menses saepe plane nulla percipiuntur, & mater se concepisse non autumat. Quod partim ab individuali constitutione, partim a conditione partium affectarum, partim fortasse ab eo dependere potest, quod natura sensim sensimque statui praeter-

24) Huc pertinet observatio BÖHM. l. c. de concept. tubar. dupl.

ternaturali affuescat. His exceptis alia grauiora adhuc a conceptione extrahenda efficiuntur, ad quae me nunc conuerto.

§. 13.

In conceptione quae inconsummata dicitur, foetus compressione aut ruptura succis nutritiis priuatus perit. In consummata vero per nouem menses iusta fere ratione, vt in vtero nutritus, & ad quemdam maturitatis gradum perductus ex legibus naturae consuetis excludi debet; oriuntur dolores ad partum, mulier statim se ad pariendum accingit, imprudentia obstetricum, reliquarumque adstantium praecocibus hortamentis ad labores excitatur, sine orificii vterini apertura, sine effluxu aquarum aegra misere cruciatur; sed irriti sunt nisus laboribus matris aucti: cessant denique motus foetus, ipse vita destituitur, & in abdomine matris ob praeclosam naturalem partus viam remanet. In vtraque conceptione foetus more solito corporum mortuorum successiue in corruptionem putridam abit, nisi natura insolita ratione agat, eumque exsiccat, & induret.

§. 14.

Matri inde varia mala increseunt, leuiora, si foetus exsiccat, grauiora cum mortis periculo a putrida eius solutione oriuntur: priusquam autem haec corporis mortui mutatio incipiat & in matrem agat, illa saepius ruptura & effusione pessime vexatur. De his nunc agamus.

Ruptura & effusio foetus in matris abdomen.

Conceptiones ouariae & tubariae internae prae aliis tali euentu insigniuntur. Tuba fallopiana & ovarium cum minori expansionis vi gaudeant, ab incresecente ouo praeter naturam expanduntur, mater per sueta intervalla in quadam abdominis regione dolores spuris similes percipit, qui motibus foetus adhuc augentur, & ita acerbi sunt, ac si tumoris regio dissecaretur: sub his cruciatibus nimia partis foetum continentis expansio in rupturam abit, & conceptus in cauum abdominis effunditur. Subito cessant dolores, sed cum his etiam omnis spes, vt mater conualescat. Vasa sanguifera, per rupturam laesa sanguinem in matris abdomen effundunt: languescunt

vires naturae in sedanda haemorrhagia, & mater viribus exhausta, sub iteratis animi deliquiis, subito e vita decedit. Nonnunquam protrahitur mors, sed tantummodo ut mater aegrius affligatur; subsequitur sphacelus partis ruptura affectae, reliquorum abdominis viscerum inflammatio febrem acutissimam excitat, quae vitae finem imponunt. Iure ab autoribus inter perniciosissimas conceptiones extrauterinas internae referuntur, instante aut iam facta ruptura nullum auxilium a viribus naturae medicatricibus expectari licet; nec ovarium nec tuba eadem structura qua uterus gaudet; fibrae a nimia extensione relaxatae sunt, vulnus se non contrahit, labia eius non coalescunt, & tristissimus ille euentus inevitabilis est. — Sunt qui negant, absolute lethalem esse eiusmodi laesionem, quod observationibus probare student; alii contendunt, non absolute necessarium esse, ut ovarium dirumpatur, quod totum, foetus in maius attritione factaque inde extensione adeo extenuari & consumi possit, ut post aliquod tempus ne vestigium eius quidem superfit. Sed omnes hi errant, nulla conceptio extrauterina interna per quinque aut sex menses sine ruptura protracta, & ruptura nunquam sine matris excidio ad hucusque tempus observata existat, & causa erroris omnino, in falsa observandi ratione, aut in neglectu distinctionis inter externam & internam quaerenda est. In illa a volumine foetus aucto ruptura non adeo timenda esse videtur, conceptio enim tubae aut ovario tantum ex parte adhaeret, ceterum membranae cum foetu in libero spatio sunt, ubi partes vicinae pressioni cedunt, saepius adhuc aliis partibus e. c. peritoneo cohaerent, quo praecavetur abruptio; sed accidat, ut foetus motibus suis aut ponderis vi dirumpat carcera, tamen mala a nobis descripta hinc inde rarissime evenire experientia persuasum habemus.

§. 15.

Signa rapturae ovarii & tubae diagnostica difficilia sunt determinatu, nulla enim alia ratione nisi coniectura verisimili ex gravidae significatione doloris percepti, ut ex diversis tam praegressis, quam dein exortis symptomatibus illa assequi medico licet. Saepius ne ullus quidem ventris tumor cerni potest, qui etiamsi apparet, parvus tamen plerumque est, cum foetus in his conceptionibus nunquam

eandem attingant magnitudinem quam in aliis sed ad summum foetum trium quatuorue mensium fere magnitudinem nanciscantur.

§. 16.

Exitum hunc matri brevi funestum observationibus confirmare necessarium puto.

In MANGETI Theatr. anat. T. II. p. 140. duae narrantur historiae huc pertinentes. — I. Mater quae ante tres circiter menses se in graviditatem incidisse putabat, post breue animi deliquium omnibus partus imminentis praeludiis correpta, & se peperisse exclamans, statim moritur. Apertis autem abdominis integumentis, omnia intestina sanguini immersa erant, & in illo foetus reperiabatur pollicem crassitie aequans, longitudine eadem tertia parte breuior, distincte formatus. Ovarium dextrum autem secundum longitudinem per medium dilaceratum, qua parte tubae non obuersum est & capacitas eius sanguine oppleta erat. — Alter casus foetus bimestris mentionem facit, qui effracto carcere in abdomen deciderat, matre illico ex secuta haemorrhagia moriente. Ovarium sexies sinistro crassus, qua parte tubae tentorio obuertitur prorsus lacerum inueniebatur.

SANTORIN. in observ. anat. Cap. XI. §. XVI. p. 225. recenset conceptionem tubar. eiusmodi momenti. — Mulier quaedam, mensuris per quinque menses obstructis ex improviso sese animo destitui sentiens opem aduocabat, lecto imposita & paululum restituta, sese mox morituram, ob diros circa pubem & femora potissimum cruciatus, quos prius nunquam passa fuerat, praedixit. Iam tum subitaneus virium languor, faciei pallor, frequens sed tenuis vomitio, largus frigidus sudor, & post nouem circiter horas cruento modico humore ex naturalibus expresso mors occupat. — Dissectione inueniebatur magna effusio sanguinis, tuba sinistra in magnum tumorem distenta, & in eius facie posteriori osculum vix panici grano maius, vnde illa sanguinis copia lente effluerat, quo dilatato foetus cum placentula & membranis conspiciebatur. —

BÖHMER I. c. P. I. aliud exemplum notatu haud indignum refert. — Foemina quaedam variis cruciatibus fere continuis cum tumore duro, pededentim crescen-

crefcente, ad finiftrum regionis hypogafticae latus feſe extendente per 4 fere menſes affecta, incidit in febrem intenſam inflammatoriam ſaevis ſymptomatibus vehementia non remittentibus ſtipatam, qua etiam nono die, ſuperuenientibus motibus convulſivis & aliquot ante mortem horis, ſubito turgente abdomine obiit. Aperto abdomine ſanguinis coagulati & putridi effuſio obſervabatur: totus inteſtinorum tractus inflammatus & hinc inde ſphacelo corruptus, ovarium finiftrum, quod externo tactu & adſpectu ſaccum membranaceo-carnofum referebat, penitus inflammatum, poſterius ruptam cum incipiente ſphacelo animadvertēbatur; dexter embryo- nis pes ad genu vsque prolapſus verſus os coccygis propendebat. — Notabilis obſervatio Illuſtriſſimi MECKEL Praeceptoris ad cineres vsque colendi e benevo- lis manibus eius cum tabula aënea accepta & infra allegata, omnino, quae dixi probat.

§. 17.

Foetus poſt obitum in vivae matris abdomine remanens plerumque in corrup- tionem abit, & ad ſolidiſſimas vsque partes ſolvitur. Ex hac foetus corruptione mater ſummum vitae periculum incurrit: morbos putridos efficit, aut ſtatum cor- poris cachecticum reddit, corpusque ſucceſſive conſumit.

Haud raro in foeminarum cadaueribus, quae febre lenta cum tumore infimi ventris & aliis malis his ſuperuenientibus correptae mortuae erant, tumores cys- tici inveniuntur, qui oſſa humanis ſimillima, dentes, capillos & oſſiculorum fruſtula carie & putredine exefa continebant: ſine dubio reliquiae foetus ad has ſolidiores vsque partes diſſoluti; cujus velamenta in eiſmodi morbum degenerata erant.

Integram dentium humanis ſimillimorum ſeriem in ovario inveniunt, RUYSCH. v. Adverſ. anat. med. chirurg. Dec. III. p. 6. — De dentibus ſimul cum maxilla in ovario inuentis v. ANC. Mem. II. p. 244. 245. & DU HAMEL hiſt. p. 256. — De capite infantili ſimili in ovario reperto, reliquiis procul dubio foetus, cuius corpus praeter dentes computruerat & evanuerat conf. ANC. Mem. II. p. 91. — Huc referendum eſſe videtur meliceridis ſingulare exemplum. Mulier quaedam annum XVII. agens, in regione lienis tumore vexabatur, qui creſcens graviditatem

pro-

pronuntiare videbatur & in dies magis auctus abdomen ad circumferentiam quatuor vinarum distendebat. Mulier hocce onus per XXI. annos sub variis cruciatibus tulit, vsque dum hoc tempore praeterlapso, dirissimis doloribus in abdomine vexata oblit. — Sectione cadaueris inueniebatur in abdomine magna humoris copia, ovarium sinistrum in meliceridem horrendae magnitudinis degeneratum, cuius substantia multis capillorum manipulis, ossibus informibus, quibus dentes omnis generis & sine ordine infixi erant, pertexta animaduertebatur. v. Breslauer Sammlungen Versuch XIX. 1722. m. Jan. Art. VII. — STORCH Weiberkrankheiten. T. IV. p. 29. J. F. BLUMENBACH. Med. Bibl. T. I. P. I. p. 152. — Dentes & pilos foetus, qui euauerat, reliquias, in ovario nuperrime inuenit A. D. MURRAY. v. Progr. de dentium et pilorum in ovario generatione. Ups. 1780. — Aliud exemplum refert THOM. Diss. de conceptione ovar. Giesae 1781.

§. 18.

Nonnunquam partes vicinae a foetu putrescente inflammantur, eroduntur & interne, aut externe vnus aut plures abscessus fieri queunt. Accidere itaque potest, vt foetus plus minus perfectus ex parte, si intestinum rectum aut colon praedicta ratione affectum est, per anum, vel per quemcunque abscessum abdominalem expellatur. Non semper statim post obitum foetus excitatur abscessus, mater per plures menses pondus incommodum in abdomine sentit & valetudine aduersa vtitur, demum febricula colluctatur, dolores in abdomine sentit & via insolita ad foetus exclusionem se manifestat. Plures historias foetuum extra vterum conceptorum, qui frustulatim aut per anum aut per abscessum abdominalem excreti sunt, apud autores recensitas legimus. Sic GIFFARDVS in libr. Cases in Midwifry Cas. CLVII. p. 375 sqq. refert exemplum foetus sex mensium, ex ovario elapsi & per anum excreti. Ovarium saeciforme expansum, disruptum & in intestinum rectum apertum inueniebatur. — ERNST. TURK. Hist. mulieris varia ossa per aluum eiicientis. Ultraiect. 1727. HALLER Diff. ad morbor. hist. T. IV. p. 793 sqq. Mulier foetum mortuum extra vtrum gerens rursus impraegnatur, & post nouem menses enititur prolem iustae magnitudinis viuamque: Post partum cum febricula

colluctatur, sentit dolorem in abdomine; tandem aluum depositura angitur, in intestino prope anum dolorem experitur infandum & faecibus excernendis obstat quasi aliquid, & parit ex ano cranii partem suis capellis ornatam: successiue cum faecibus alia etiam ossa excreta sunt. —

BIANCHI. l. c. p. 84. historiam conceptionis tubar. externae recenset. Foetus in abdomen effusus excitat vehementes dolores cum febre coniunctos. — Die XII. a foetus obitu prodiit tumor ad umbilicum se quam citissime expandens & erigens; breui acuminator foetus sponte aperiebatur, apertum tumoris osculum ichorem foetidissimum eructabat. Per aperturam dilatatam foetus post XVII ab eius obitu dies niger, putridus & ex parte iam dissolutus extrahebatur; quo peracto mater post X dies obiit. Idemp. 102. refert: Muljeri cuidam in Vrcellensi urbe, a decem annis grauidae, in abdomine inflammationem, totam anteriorem ventris partem occupantem, subuenisse: plures inde natos abscessus; ex his foetentem saniam & foetus putrefactas solutasque partes sensim frustulatim exiisse: hisce omnibus eiectis, hiatus consolidatos & matrem, superstate graui omphalocoele & quibusdam viscerum erroribus, post aliquot annos obiisse. Hanc histor. etiam FANTONUS in Opusc. med. & phys. fol. 204. memoravit. — MANGET. Theat. anat. histor. 5. exhibet histor. conceptionis tub. in qua foetus per abscessum abdominalem matre superstate eductus est. — Recentissimam huius exitus obseruationem in Medical. facts and obseruations Vol. I. Lond. 1791. a BAYNHAM Chirurgo in Virginia relatam legimus. — Corpus peregrinum in cauo abdominis inclusum in regione umbilicali inflammationem excitabat, incisionibus factis per aperturam dilatatam foetus maturi partes putredine affectae extrahebantur:

§. 19.

Rarissimus prohi dolor conceptionis extrauterinae euentus est exsiccatio & induratio foetus. Cessant dolores ad partum spurii, sed post lucidum interuallum remittunt & ad finem quandoque alterius mensis continuantur: mater non amplius animaduertit motus foetus & abdominis tumor subsistit. Omnia fluida quae foetui insunt exsiccantur & cum temporis progressu crusta ossa tectus in abdomine remanet, ma-
tri

tri tantum pondere suo & vagis obtusisque doloribus molestus, per longam annorum seriem sine vilo vitae periculo gestari potest, vel nouas conceptiones partusque non impedit. Foetuum exsiccatorum plures habemus obseruationes. Memorabilem Mussipontani foetus velut lapidifacii historiam legimus in BARTHOL. histor. anat. Cent. VI. hist. XCII. p. 359. — Aliam BOUCHARD refert. Mulier quaedam nono grauidatitiae mense dolores ad partum sine foetus exclusione sentiens statu cachectico consummata post XVII annos obiit. In cauo abdominis intuebatur magna humoris liuidi copia & foetus magnitudine nonimestris, cuius partes musculares induratae, viscera relaxata & exsanguia, vasa vmbilicalia clausa erant. — Aliam BAYLE operibus suis annexit, quae repetitur in Philosoph. Transact. Vol. VII. p. 137. Uxor Joann. Pugett nono grauiditatis mense peracto, frustra doloribus ad partum & postea multis cruciatibus per annos XXV. vexata e vita decedit. Aperto abdomine reperiatur foetus, cuius frons, aures oculi, nasus & os cartilaginea fere substantia tecta erant, hac remota caluaria fracta animaduertebatur, musculi variis coloribus gaudebant, & viscera exsanguia & nigra erant. — Foetum XLVI. annorum recenset CAMERARIUS. resp. ORTH. Tubing. 1720. — HALLER. Diff. ad morbor. p. 759 sqq. — Mem. de Paris 1721. — Breslauer Sammlungen. Ann. 1720. m. Iul; Art. IX. p. 90. Ephem. N. C. Cent. X. Obs. 48. p. 337. Foemina quaedam sicciori & graciliori habitu praedita hilaris erat ad vltimum vsque vitae terminum, annorum circiter 94. Vidua quadragenaria ante 46. annos se grauidam pronuntiauerat. — Menses emanare, abdomen intumuit, tandem tempore instantis partus dolores quoque parturientium sensit, qui diutius quam 7 septimanas durantes exhibito medicamento quodam cessarunt & nullis subsequens grauib. symptomatibus mulier satis bene vixit, nisi quod tumor abdominis remanserit & pondus quoddam grauium ibidem senserit. In hoc statu bis concepit & infantes sanos edidit. Post mortem sectione a chirurgo quodam instituta reperiatur globus ossis magnitudine maxime sphaerae lusoriae, qui lateri sinistro vteri mediante carne squamosa firmiter adhaerebat. Diductis haemisphaeriis in conspectum venit foetus ad partum maturus, non putridus, corpusculum & viscera eius exsiccata & indurata deprehendebantur.

tur. — CAMERARIUS conceptionem tubariam fuisse conicit. — Recentissimam exsiccationis & indurationis obseruationem Cl. WALTER debemus, quam in libro supra laudato exposuit. Foemina quaedam nomine Beyer anno 1752. grauiditatis signa & nono mense peracto vehementes dolores in abdomine percepit: his finitis per longam annorum seriem satis bene se habuit, in ultimis vitae annis variis malis vexata, anno 1774 in Nosocomio Berolinensi viribus exhausta animam exspirauit. Aperto abdomine in infimo eius cauo foetus omnium membranarum, placentae & naturalis funiculi umbilicalis expers in conspectum venit: matris viscera sana erant, corpusculum foetus crusta alba tectum, in omnibus partibus induratum & rigidum reperiatur. —

§. 20.

Causae, quae tali indurationi ansam praebent, variae a viris doctis accusantur. Alii ad vim lapidificam refugunt; alii ex calore nimio: alii ex frigore maiori, quemadmodum idem in testa oui gallinacei fieri videmus; alii ex dolore gestationis perpetuo, ichorisque effluentis defectu eam deriuant: Cl. WALTER in casu allato indurationem, a membranarum, placentae, liquoris amnii defectu & a nutrimento crasso, terreo per vasa umbilicalia foetui tradito: incrustationem vero post mortem foetus ortam esse, putat. De hac ita sentit: materia transpirabilis in cauo abdominis in guttarum forma superficiei corpusculi adhaesit, aquosae vero partes reliquis terreis iterum resorptae sunt. —

§. 21.

Natura, vt vidimus, non raro iunctis viribus ad matris interitum ruit, vel pigra & inefficax est, vel medicatrix dubium euentum portentat. Nunc adhuc perquirendum est, quid in re tam funesta ab artis praesidio expectandum sit.

§. 22.

Vnicum, quod in conceptione extrauterina ad seruandam matris foetusque vitam superest remedium, in sectione vulgo caesarea dicta positum est, qua foetus
 C
 siue

siue mortuus siue viuus e corpore matris extrahitur. In genere sectio caesarea in vna-
 quaque conceptione extrauterina institui debet, quoniam semper matri fatalis est,
 & nunquam compertum habemus, qualis euentus futurus sit: maxime autem in
 illis indicata esse videtur, vbi mater summum vitae periculum incurrit.

Summo iure huc referendae sunt conceptiones tubariae & ouariae internae, in quibus
 a foetu increfcente ruptura valde timenda est, sed pro dolor signa diagnostica eius-
 modi conceptionis, vt iam supra dictum est, dubia aut plane nulla dantur; ponamus
 autem eam virifimiliter cognosci posse, quid tum ab operatione expectari licet?
 Ovarium aut tuba, si eo tempore scapello incidatur, ob sanguinis profluum vix ac ne
 vix quidem compescendum matrem salute periclitaturam esse, non est quod dubi-
 temus. Praeter haemorrhagiam ex vasis integumentorum externorum abdominis
 & ovarii seu tubae ipsius, eam considerare debemus, quae a solutione placentae
 oritur, partes enim nominatae praternaturali modo expansae se non tam facile
 contrahunt quam vterus & sanguinis effusio non erit minima. Concedamus au-
 tem, compressione vasorum, quae ovario e. c. sanguinem curant, haemorrhagiam
 cohiberi posse, tamen aliae difficultates magni momenti obstant: vulneris interni
 mundificatio, glutinatio, partis ad priorem magnitudinem reductio, quae si prae-
 stare volumus, incisio in abdominis integumenta aperta manere debet. — Cen-
 sent aliqui, optimum fortasse esse, vt tota pars, quae continet foetum, excindatur.
 Neque de hac, neque de illa agendi ratione apud autores exemplum inuenimus.
 Ruptura iam facta, plane nullum auxilium a sectione expectare possumus, partim
 symptomata praesentia illam, quae per se iam periculosa est, vetant, partim, vt
 signa conceptionis ipsius, sic etiam rupturae fallacia & incerta sunt: nec quisquam
 rei medicae gnarus sub his auspiciis sectionem caesaream instituere audebit.

§. 23.

In omnibus reliquis, simulac certis & manifestis signis compertum habemus,
 conceptionem extrauterinam adesse & foetum adhuc viuere, aut illo iam mortuo
 matrem a putrida eius corruptione affici, tum sine mora instituenda est. Idem

in

in his quam in illis ab haemorrhagia, quae a solutione placentae oritur, timendum est: sed ob eius periculum, si foetus seruetur, sectionem omittere non debemus.

§. 24.

Vituperatur & plane reiicitur sectio caesarea a multis autoribus, quia mater, hac instituta, rarissime mortem effugit, sed non ex culpa sectionis sed grauidarum, quae sectionem vrgentis necessitatis tempore admittere noluerunt, hoc factum est. Neque in conceptione naturali neque in extrauterina exemplis de felici huius sectionis euentu caremus. Sectio protinus super ipso loco tumente instituitur: aperto abdomine foetus cum secundinis sollicite eximi, sanguinis fortasse effusio sisti, & humores in cauum abdominis effusi probe expurgari debent. His peractis vulnus mundificandum, consolidandum, febris vulnerariae & grauiori inflammatoriae conuenientibus remediis externis & internis resistendum superest. Abscessus, si oritur, aperiendus, iam a natura apertus dilatandus similique ac in priori ratione procedendum est.

Notabilis conceptionis tubariae, quae huic dissertationi ansam dedit, observatio, a Beato *Meckelio* instituta, ab eius Illustrissimo *Filio* Praeceptore meo nunquam satis venerando mihi beneuolo animo communicata, typis illustrata, digna, quae opusculo tanquam ornamentum addatur, omnino nobis visa est: En ergo rem.

Mense Nouembris anni 1769. allatum fuit cadauer iuenculae 22 annorum, pinguis & optimi habitus. Abdomen tumidum, ast minime illi grauidae, sed hydropicae, vel tympanitide laborantis simile. Hoc aperto tota eius cauitas sanguine repleta erat, tum coagulato, tum fluido. Coagulum VII libras aequabat; sanguis praeterea fluidus continuo prodiit, peluim replens, in eaque positas partes conglutinans. Abluto sanguine intestina tenuia extra peluim posita conspiciebantur; sic & crassorum situs naturalis erat; sed coli curuatura s. flexio Iliaca, sub nomine *S. romani* nota, intra peluim adhaesit tumori in sinistro latere posito.

Pelui aequae a sanguine effuso expurgata, vterus grauidae octo septimanarum similis, peluis fundum replens visui, tactu mollis & e substantia laxa effectus, se offerebat. Sinistro eius lateri continuus erat tumor oualis ad peluis latus sinistrum peritonaei ope prope psoam maiorem musculum adhaerens. In hunc tumorem ex vteri fundi latere sinistro, vnius & dimidii pollicis distantia sub fundo, tuba exiit sinistra, initio naturaliter dilatata, postquam vero spatium duorum pollicum ab vtero emensa erat, dilatari incepit & in tumorem ipsum terminabatur. Tumori a tuba effecto pressim & agglutinatum quasi adhaesit posterius ouarium sinistrum.

Tumor ipse in superficie sua externa filamentis plurimis membranaceis, ex condensato fluido ortis adhaerebat ad flexum coli Iliacum & peritonaeum, cauitatem Iliacam obducens, rubore sanguineo a sanguine coagulato externe nigricans in parte sua sinistra & posteriori versus peluis sinistram partem in posteriora directa, di-

lacera-

lacerata apertura patebat, quae apertum membranis dilaceratis circumdata, intus fibrillis vasculosis circumdatum corpus placentae, ouum cingentis obtulit visui. Vasa spermatica tam ad ouarium, quam ad posteriorem & inferiorem tumoris tubarii partem decurrebant, & per tubae tunicas continuato tractu in ouum ferebantur. Oui ipsius ratione magnitudinis cum ouo octo vel nouem septimanarum conuenientis, cauitas internam faciem, leuem ad anteriora versam habuit, lacera- to magno ostio apertam. Ex ipsius superiori & sinistra parte exiit funiculus tenuis, duorum pollicum magnitudinis, ex oui cauo pendens, extrorsum in laceram tenuemque membranam desinens, in qua tamen vascula tria distincte apparebant. Ex rupto hoc ouo sanguis & nunc effluebat, Foetus non adfuit, abruptus sine dubio & dissolutus a torrente sanguinis & in coagulum sanguinis intra abdomen effusi deperditus.

Vteri praesertim in fundo directio, aliquatenus obliqua erat, ita, vt angulus dexter sinistro altior in demissorem sinistram descenderit; ratio huius inclinationis a tubario tumore, sinistram vteri angulum ad inferiora detrahente, omnino repetenda est. Exinde etiam ligamentum vteri latum dextri lateris vna cum ala vesper- tilionum longe latiora, cum in sinistro laterē haec in integrum euauerint, ligamen- tum latum vero & latitudine & ambitu longe minutum fuerit. Hae mutationes a peritoneo, in integrum fere sinistrae tubae tumorem obvelante pendebant, quod exinde in ouarium corpore suo luteo insigne ita tendebat, vt hoc pressim tubae appo- noretur.

Flatu in vterum per inferiora immisso, dilatabilis apparuit ipsius cauitas, vt conspicuae tam anterior quam posterior ipsius superficies protuberauerint. Aper- ti sectione longitudinali per latera & fundum ducta, substantia crassa, rubella, in medio fundi trium linearum, in dextro sinu duarum cum dimidia lata fuit; in sinistro vero margine quinque lineas crassitie aequabat ob vasa vteri per eum decur- rentia, tam venosa quam arteriosa, illis dextri lateris, aperti latiora. Cauitas ipsa laeuis erat, a tenera, facile lacerabili membrana, quam pro neruea & villosa vteri praeternaturali modo expansis & emollitis habuisses, nisi *G. Hunteri* ex- actior obseruatio docuisset; huius membranae ortum a stimulo in vterum agente

& lymphæ coagulabilis exsudationem cauffante, quæ facile in membranam coeat, deberi. Hanc esse vteri, sub nomine *Deciduae* hodie cognitæ, membranam, aperte docebant præter teneritudinem habitumque pulposum, laxitas, nexus, qui eam inter & vterum intercedebat, cum facillime a reliquo vtero separari potuerit; & is ab *Huntero* notatus huius membranæ in locis ostiorum tubæ & orificii vteri & in nostro typo exacte insignitus defectus.

Non possumus ab hoc facto recedere, quin annotemus: Uteri mutationes non adeo unice a graviditate intra ipsum oppetente, quam ex eo pendere, quod irritatione efficiatur, quæ, licet per sympathiam accidat, tamen illi similis sit, quæ idiopathice intra ipsum efficitur. Vnde alias congestio ad vteri vasa, augmentum substantiæ vteri; exsudatio lymphæ in membranam deciduam coeuntis; membrana hæc ipsa, illi plane similis, quæ in vtero vere gravido oritur? nisi ex sympathia tubam inter & vterum stabilita rederinare velles.

Tubarum ex vtero aperto, ratione cavitationum instituto examine; dextra, extra vterum naturaliter dilatata initio flatum in cavitationem vteri non admisit, ut sub aqua ne bullulae quidem exierint; postquam vero diutius in aquam immersus fuerit vterus, dissoluto claudente liquido gelatinoso, flatus bullulis minimis per tubæ aperturam vterinam exiit. Tuba sinistra versus vterum perfecte clausa videbatur, nec flatum admittebat; depurata vero a mucositate, & separata aliquantisper tunica decidua eius apertura visui sese offerebat; per hanc seta argentea tenuissima in cavitationem tubæ, difficillimo quamvis negotio adigi poterat; non ultra dimidiam pollicis distantiam vero hæc succedebat; dilatata enim tubæ portio nec stilum nec flatum admisit, certo indicio; omnium ipsum tubam dilatatam plane occlusisse, & replevisse, simulque partem tubæ imprægnatione dilatatam a tubæ parte vterina plane separatam fuisse.

Orificium vteri non virgineum, sed elypticum, a partu prægresso lacerum, & in angulis denuo cicatrifatum, rima quatuor lineas longa apertum. Labium posterius in vaginam eminebat; anterius vero æquabili tractu in vaginæ parietem anteriorem pergebat.

T A B V L A E E X P L I C A T I O .

F I G V R A P R I M A .

- Conceptionem tubariam ab externa facie in qua integra remansit cum utero aperto, ut eius cavitatis cum tubarum exitu appareat, offert.
- A. A. A. Vteri cavitatis superficies posterior.
- B. B. B. Vteri cavitatis superficies anterior.
- Vtraque non nuda, sed tunica decidua vteri (quae a *Guilermo Huntero* nomen accepit) obducta.
- C. Huius membranae deciduae supra orificium internum continuatio, non integra tamen, sed tenui ostio in cervicis cauum continua.
- a. a. a. Eiusdem limites ab vteri interna facie distincti, cum non nisi teneris fibris & vasculis cohaereat cum utero.
- D. Substantia vteri musculosa eius ambitum cingens; eam offert tam ratione cavitatis, quam parietum distensionem, quae in utero grauido secundi mensis observari solet.
- b. b. Vteri vasa venosa & arteriosa dilatata.
- c. Ostium internum tubae sinistrae per deciduam conspicuum.
- d. Idem tubae dextrae.
- E. Eadem tuba ab utero ad fimbrias usque aëre inflata.
- F. Ala vespertilionum dextra.
- G. G. Tubae Fallopianae sinistrae ab vteri fundo ad dilatationem ab ovo inclusam factam portio, quae naturali modo pervia statim & stilum prope vteri cavitatem setam tantum tenuissimam admittit.
- H. H. Eiusdem pars externa oui gallinaei figuram referens.
- I. I. I. I. Fimbriae tubae dilaceratae ex ruptura membranae ouum ambientis.
- K. Ligamentum vteri latum sinistrum; omnis enim ala vespertilionum in tubam a conceptione dilatata consumpta fuit, ut nulla eius inter ovarium & tubam vestigia apparuerint.
- L. Peritonaei ab utero ad tubam & ovarium productio, ligamentum ovarii cingens.
- M. M. M. Tumoris tubarii portio inferior, peritonaeo manca, ut vasorum spermaticorum ab ovario descendens tractus ad tumorem ipsum appareat.
- e. e. Arteriae spermaticae truncus & rami ad ovam reflexi.
- f. f. Venae spermaticae arterias in hoc itinere comitantes.
- g. Arteria umbilicalis ex hypogastrica resecta.
- N. Orificii vteri a praecedente partu dilatati labium anterius in vaginae parietem anteriorem continuum.
- O. Eiusdem rima transversalis.
- P. ——— labium posterius.
- R. Vaginae apertae & expansae pars superior vteri orificio continua.
- h. Apertae vaginae circumferentia.
- S. Intestini recti retro vaginam descendens portio.
- T. T. Vreter sinister.
- U. U. Ligamenti vteri rotundi, peritonaeo obducti portio.

F I G V -

FIGURA SECVNDA.

Conceptionem tubariam, ruptura, in foemina adhuc superflite, exorta, laceratam monstrat.

A. Uterus nondum apertus.

B. Eiusdem fundus.

C. C. Collum vteri.

D. D. Orificii vterini labia.

a. Eiusdem rima transversalis

E. E. E. Vaginae interna superficies.

b. Limes circumferentiae sectionis per vaginae substantiam factae.

F. F. Tuba Fallopii sinistra ex utero lateraliter procedens.

G. G. Peritonaei ab Utero ad tumorem tubarium processus.

H. H. H. Tumor tubarius ovum in se continens, siue tuba in parte sua externa expansa.

I. I. Margo rupti tumoris dilaceratus,

K. K. Membranae amnios ruptura apertae facies interna seu cavitatis.

c. Funiculus umbilicalis e membrana amnios exiens.

d. Eiusdem finis in tria ligamenta vasculosa terminatus.

L. L. Oni faciem externam obducentia, in placentam coeunda vasa, quae nunc externam chorii faciem obducunt & nexum cum tumente tuba efficiunt.

M. M. Ovarium sinistrum tubario tumori pressum adhaerens.

N. N. Peritonaeum a vesica urinaria ad uterum tensum.

O. O. Vesica urinaria.

P. Vreter sinister.

Q. Intestinum rectum.

R. R. Levatoris intestini recti portio.

S. Orificium ani.

T. T. Labia pudendi externa cum media rima.

U. U. Corpus cavernosum clitoridis sinistrum.

VV. Ligamentum vteri rotundum, siue crus vteri musculare sinistrum.

W. Vreteris dextri pars superior.

X. Peritonaeum plicam Douglassi semilunarem inter uterum & intestinum rectum efficiens.

Y. Y. Y Vena caua collapsa.

Z. Z. Arteria aorta.

e. e. Arteria spermatica sinistra pone & in tumorem tubarium pergens, unde vasorum ad ovum in tumore tubario contentum prolongatio.

f. f. f. Arteria spermatica dextra.

g. g. g. Vena spermatica sinistra ab insertione sua in venam emulgentem sinistram resecta.

h. Vena spermatica dextra in venam cavam tendens.

i. Arteria mesaraica inferior.

k. Arteria Iliaca communis dextra.

l. — — — — sinistra.

m. Vena Iliaca communis sinistra.

o. Arteria hypogastrica sinistra.

n. n. Arteria umbilicalis eiusdem lateris.

o. o. o. Arteria vterina sinistra.

p. Arteriae vaginalis truncus resectus.

q. Arteriae Ichiaticae & pudendae communis truncus rescissus,

r. Arteriae cruralis truncus resectus.

s. Eiusdem venae truncus abscissus.